



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Fama & infamia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

tur restituere damnum sequutum. Idem de eo qui falsat pondera, vel mensuras, aut falsis scienter vtitur. Ibidem.

De falsante nummos: vide Moneta.

F A M A, E T

Infamia.

A FAMA est existimatio bona de aliquo, qua putatur bonus, vel habilis in aliquem bonum usum. Gloria verò est clara cum laude notitia. cap. 18. num. 19. 20.

Fama nullum habet pretium. cap. 17. num. 89. & num. 90. Atque eius & honoris bona, altioris gradus sunt, quàm bona fortunæ seu pecuniaria. Et non tenetur quis restituere bona ordinis inferioris cum iactura bonorum ordinis altioris, saltem communiter. cap. 16. num. 44.

Bonum autem notabile animæ, corporis, famæ, honoris, aut pecuniarum dicitur, quod viro prudenti, & bono tale videbitur consideratis circumstantiis personæ, loci, temporis, & aliis. cap. 18. num. 20.

B Qui infamat aliquem, iniuste peccat contra legem diuinam, & naturalem. cap. 7. num. 1. Unde fama proximi ablata necessario est resti

restituenda. cap. 18. num. 42.

Qui verò grauissimè infamè sit aliquem, non tenetur restituere cum periculo vitæ. cap. 17. num. 91. Quia bona vitæ & salutis altioris gradus sunt, quàm bona famæ & honoris, & non tenetur hæc restituere cum iactura illorum. cap. 18. num. 44.

At verò, qui ob periculum vitæ, aut ob alias causas non potest famam restituere, tenetur compensare. num. 42. & debet compensare pecunia. cap. 17. num. 90.

Damnum illatum iniuste infamato, durante infamia, non est integrè restituendum, sed ad arbitrium boni viri: quod intelligitur de damno boni acquirendi, non tamen iam acquisiti. cap. 18. num. 44.

Qui detrahit alicui apud aliquos animo infamandi, si illi non conceperunt malam opinionem, nec sic infamatus bonam famam amisit, non tenetur restituere. Ibidem.

Qui laudando vnum, immodicè famam alterius notabiliter extenuat, tenetur restituere. num. 44.

Qui mentiendo infamauit alium, tenetur restituere, asserendo se fuisse mentitum, vel saltem se dixisse falsum: non tamen tenetur testes adducere, satis erit iurare, si aliàs ei non crederetur. num. 45.

Qui infamauit dicendo verum, licet minus

nus peccet, tamen ad tantam restitutionem tenetur, sicut qui infamavit mentiendo. Heres autem detractoris non solum in iudicio exteriori, sed etiam in interiori tenetur famam restituere. num. 46.

E Qui infamavit detegendo delictum verum, sed occultum: tenetur etiam restituere: modus autem restitutionis aptior, (maxime apud viros prudentes) est laudare sepius virtutes infamati, nulla facta mentione mali à se detecti. num. 45.

F Nemo tenetur sibi famam restituere, nisi in 4. casibus. I. Quando indigens notabiliter fama ad se continendum eam prodegit. II. Qui pro iusto habitus alia sua turpissima delicta detegit, ita ut probabile sit, fore causam, ut alij in eadem incidant. III. Quando crimen detegit ob quod eiusdem, aut alicuius alterius vitæ, seu membri iacturam meretur. IV. Quando ex eius infamia sequitur damnum honoris, aut bonorum aliorum hominum. cap. 18. num. 28. 46.

G Persona publica se infamans, vel quæ se notabiliter infamantibus non resistit, aut famam restitutionem non petit, peccat. num. 61. Vnde huiusmodi persona infamata, ex cuius infamia respublica patitur damnum, tenetur procurare restitutionem famæ. num. 61. 43.

Non

Non tenetur famam restituere, qui aliena delicta à se audita refert absque affirmatione, quamuis audientes ea credant, nisi circumstantia personæ referentis daret iustam causam ad credendum. num. 49.

Nec quando dicens est adeò leuis, & audientes adeò graues, vt eius dicto nil moueantur. Nec quando is, de quo dicitur, nullam habet famam in illa materia, ita vt nihil notabiliter perdat. Nec qui solam causam vel occasionem remotam præbuit infamiae, vt qui ioco rogauerit ab aliquo, cur fecerit tale delictum, quod re vera non fecit, & ipse valde queritans se ipsum reddit suspectum apud aliquos. num. 50.

Nec etiam tenerur detractor illustris restituere famam homini infimo. Videtur tamen requiri aliqua compensatio. num. 50.

Abundantia famæ infamati non excusat infamatorē à restitutione, imò magis obligat. num. 42. nec excusat eo quòd in aliis duplo vel triplo magis eiusdem famam augeat, saltem quando infamator infamauit mentiendo. nu. 43, nec excusat mutua compensatio iniuriæ. num. 46. ad primum.

Nec etiam excusatur infamans, eò quòd infamatus se ab infamia liberauerit suis optimis operibus falsitatem mali sibi impositi ostendens. ibidem. Excusat tamen, si

X mala

mala opinio, quam audientes conceperant, fit abolita, eo quod audientes detrahentis vanitatem intellexerunt. Quia iam est recuperata fama. cap. 18. num. 43.

Excusat etiam timor mortis, vel salutis, tenetur tamen alia via refarcire. num. 47. Item condonatio, quæ aliquando erit iusta, & meritoria. num. 46.

N Atque infamiae condonatio facta petenti generaliter veniam omnium delictorum detractionis, excusat à restitutione earum, ad quas verisimiliter intentio condonantis extenditur, non tamen reliquarum detractionum. Infamatus autem conuersando familiariter cum infamatore, videtur remittere ei iniuriam, non tamen obligationem restituendi famam. num. 46.

O Qui suo mendacio fuit causa quod alius perderet maxima bona, si restitutus eis perderet locum honoris habita ratione diuitiarum, excusatur quoad talem restitutionem, quæ non posset fieri sine tantæ falsitatis detectione, non tamen quoad aliam. num. 47.

P Excusat etiam tanta obliuio infamationis, ac si nunquam dictum fuisset, debet alia via refarcire, pecunia, beneficiis, vel laudibus. Si verò aliqua eius rei durat memoria, tenetur restituere. Atque hæc obliuio excusatio,

excusatio, posset etiam locum habere in impositione falsi criminis. Excusat item diuulgatio mali detecti iniuste, facta alia via, tenetur tamen restituere damnum acceptum tempore intermedio à tempore infamiae usque ad diuulgationem. Ibidem. Excusat etiam quoties homo non dedit iustam causam credendi, vel non fuit ei data fides. numer. 48.

FAMILIA,
& Famulus.

Peccat mort. famulus, qui notabiliter con-
A temnit Superiorem. cap. 14. num. 22.

Magistri mechanicarum artium, & scho-
latici Salmantini, si tyrones, vel famulos,
quos nullo vel exiguo dato stipendio con-
ducunt, ita illos occupant, ut non possint ar-
tes addiscere, vel studere, tenentur restituere,
si quidem eos accipiunt, ut doceant suas
artes, vel concedant tempus ad studendum.
cap. 17. num. 108.

Nobiles, qui absque conuentione expres-
B se accipiunt pueros precibus parentum, &
praebent illis victum, & vestitum, qualem
gustabant, quando acceperunt eos, & faciunt
eos instrui artibus, & moribus honestis, non
X 2 tenen